





10

V O T A

10.

In

*Prestantissimum & Humanissimum*

LUCAM L. F. BACMEISTERUM

Rostoch. Megapol.

Cum ipsi

*Rectore Magnifico*

*Viro admodum Reverendo, Excellentissimo &  
Clarissimo*

DN. JOHANNI HIMMELIO,

SS. Theol. Doctore & Professore in Acade-  
mia Jenensi celeberrimo,

*Decano spectabili*

*Viro Excellentissimo & Clarissimo*

DN. M. PHILIPPO HORSTIO,

Poët. Laur. Cæs. Ethices & Pol. Prof. P.  
eminentissimo,

Summum in Philosophia brabeum cunctaq; Magisterii Privile-  
gia unâ cum aliis VIII Dnn. Competitoribus Anno 1632.

VII. Id. Febr. in Almâ Salanâ assi-  
gnaretur,

*Missâ & conscripta*

à

Præceptoribus, Fautoribus, Promotoribus, Amicis & Fratribus.

~~~~~  
GUSTROYI exscripta à JOHANNE VENATORE. A<sup>o</sup>. 1632.

18.



MI LU CA, Eusebii corclum, Sobolesq; Parentis  
Eximii, Mensæ portio magna meæ,  
Ecce duas trinis laudes includo Phaleucis,

Quas pietas, virtus promeruere tua:

BACMEISTERE JENÆ MAGISTER audis  
Doctus. Profit Honos Tibi, Tuoq;  
Patri: hæc summa mei caputq; voti!

JOHANNES HIMMELIUS  
S. Th. D. & t. t. Academ. Je-  
nens. Rector.

Suo LUCÆ BACMEISTERO gradu Magi-  
sterii in Academia Jenensi nuper  
ornato.

*L*ittora qui meritis magnis Arctoa bearunt,  
BACMEISTERE patris nomen aviq; gerens.  
Dum modò Salades, Phæbo spectante, Camæna  
Doctrinæ tribuunt præmia digna tua.  
Hæreo, num nato grator prius, annè parenti?  
De te sive patri, de patre sive tibi?  
Patri; qui gnatum vestigia clara legentem  
En sua cognoscit, noscit aviq; simul.  
Nato; qui patria simul ac virtutis avita  
Æmulus, acceptum suscitatur usq; decus?  
Sic faciam: patri gratatus & optima gnato,  
Cælestem supplex sollicitabo patrem.  
Ut patrem servet gnato, gnatumq; parenti,  
Serviat ut Christo salvus uterq; diu.

JOHANNES MAJOR D.

BAC-



**B**ACMEISTERE boni soboles non prava parentis,  
Quem facie, ingenio, moribus, arte refers,

**B**ACMEISTERE patris magni non parva propago,  
Pieridum, Sophies, Eusebiesq; decus,

Quando Magistralem confert sibi Jena tiaram,  
Hæc mecum tacito pectore vota fero.

Quot BACMEISTRIADUM Doctores atq; Magistros  
Nobile stemma tulit, tot tibi fausta precor.

Perge sequi fausto patris vestigia gressu,  
Sic majora DEO præmia dante feres.

*Honoris, favoris & amoris ergo f.*

JOHANNES GERHARDUS D.

---

**Æ** Mula magnorum proles, perdocte, Parentum,  
BACMEISTERE, ampli jura Magisterii

Grator jure, lubens grator tibi: jure reportas,  
qua peperit virtus arsque, brabeia, tibi.

Donatur meritò Palma titulog, Magistri,  
quem decorat virtus & Sophie expoliit.

Puncta Magistralis me diribitore tulisti  
laurus. Grande lubens gratulor inde decus.

Primitias Sophicas, ut Sacrae messis honora  
excipiat quondam, comprecor, Eusebies.

fac. properanter gratul. & hon. ergo

M. PHILIPPUS Horst Philos.

Facult. Decanus.

---

**B**ACMEISTERE, decus juvenum, cui candida virtus  
Ingeniiq; vigor tabificusq; labor,

Æternum peperit nomen vulgoq; profano  
Secrevit, doctis inseruitq; viris:

Expetis ut meritos tibi carmine grater honores?

Grater ut optati ferta Magisterii?

A 2 Non



Non mea Pegasei lavi labra fonte caballi,  
Sicca Poëtifico sanguine vena mihi est.  
Non me propitio nascentem lumine vidit  
Melpomene, vatem nec dedit esse bonum.  
Ergò quid exerces silicem in standoq; fatigas?  
Nunquam expressus aquæ defluet indeliquor.

*Imq; f.*

M. DANIEL STAHLIUS

Log. & pr. Phil. P. P.

**Q**uum Te ardor stimulat generosa laudis honestus  
& Sophia magno tendis ad alta gradu;  
BACMEISTERE probas, quod sis magna indolis haeres,  
magno quodq; geras amula corda Patri.

*gratulabundus scrib.*

M. PAULUS SLEVOGTIUS P. P.

**T**Andem, quæ meruit tibi præmia vivida virtus,  
BACMEISTERE tuo digna labore capis.  
Te vidit nudis veniens aurora capillis  
Sæpius Aoniis invigilare sacris.  
Vidit & astrigero procedens vesper olympo  
Te benè doctorum volvere scripta virum.  
Perge ita; sic Patriam magno maetabis honore:  
Et te maetabit Patria amore tua.

*amici affectus ergò f.*

M. HIERONYMUS PRÆTORIUS

Hamb. Phys. P. P.

**S**I cumulata darent & densa negotia saltim  
horam; gratarer carmine mellifluo:  
quosq; Brabeota tibi digno decrevit, honores  
candidus ornarem candidiore metro.  
Sed me congeries obnubit & opprimit ampla,  
ut cernis, rerum, nec datur ulla quies.

*Ergo*



*Ergo sufficiat versu comprehendere votum:*

Huic Sophies, sit honor subsequus Eusebies<sup>2</sup>.

Lmq; F. Amico veteri

M. Johann-Michael Dilherr

Orat. P. P.

**N**on haectenus mi note L U C A corpore,  
Vitâ peractâ indefinentèr notus es

Satis superq; in *Gratiarum, & ter trium*

*Pale Sororum*. Hinc in *Lyceo*, sumptibus

Quod regiis J A N - F R I D E R I C U S, non piger

*Athleta* C H R I S T I, struxit olim flumina

Ad S A L Æ amœnæ, laureâ P R O P R I N C I P E S

Parant comas ornare circum tempora.

Indicia certa, qualis & quantus sis

Futurus olim. Maecte L U C A talibus

Coeptis! tuâ virtute maecte! mens decus

Tale meruit, quæ sese abysso dogmatum

Merfit profundâ. Sic tuis laurum capis

Meritis paratam. Non enim *Novensiles*

Hunc absq; relinquunt dote, qui se strenuum

Castris in harum præbuit satellitem.

Tu porro perge, & *Eusebie* pondera

Non te fatigent: *Palma* sic *Theologia*

Te expectat olim, cui S O P H I A, ortum polo

Celso trahens, jam sternit ipsa semitam,

Methodumq; monstrat, quam sequi tutò queas<sup>2</sup>.

*Fausti ominis ergò exordia*

M. GEORGIUS SCHEDIUS, Glau-

chaviâ. Misn. Sch. Gustr. Rector.

**I**n stadio currunt multi, aet non omnis honoris,  
Cursu decurso pulchra brabeia capit.

A 3

Hujus

Ergo



Hujus si quæris causam discriminis? hæc est,  
 Maxima pars currit non benè curriculum.  
 Hic dextram versus flectit nimis, ille sinistram,  
 Subsistit cursu tertius in medio.  
 In studiis æquè metam properamus ad unam,  
 Ast illam decimus vix tamen assequitur.  
 Divitiæ huic obstant; huic contrà curta suppellex,  
 Huic verò blanda sunt mora delicia.  
 Ergo diu felix atq; omni dignus honore,  
 In stadio, & studio qui benè currit, erit.  
 Qui fixam ad metam properat per saxa per ignes,  
 Atq; alios vincit sedulitate suâ.  
 Ut tu, qui æquales superas, Doctissime Luca,  
 In lingvis, nec non artibus ingenuis.  
 Ergo etiam decorat Musarum præses Apollo  
 Baccare te Lauri, & fronde Magisterii.  
 Hic tibi profit honos, sic perge, & post breve tempus  
 Summus Avo magno, & cum Patre, Doct or eris.

Sic Dn. Magistrando scriptis absens gratulatur

M. GEORGIUS VOLCKNER,

Schol. Gustr. Conr. amicus ejus

intimus.

|                         |                          |                         |
|-------------------------|--------------------------|-------------------------|
| LAUS comparata diâ      | Qui sudat in palæstra,   | Te diligit sororum      |
| Virtute præstat auro;   | Qui pugnat in palæstra   | Novena turba docta;     |
| Laus comparata summo    | Noctes diesq; doctâ,     | Tu charus esq; miles    |
| Studio viget, virescit, | Notum viris Eois:        | Apollini brabeutæ,      |
| Et omne vivit ævum.     | Ex arce talis almæ       | Dum vincis in palæstra, |
| Hæc laude in orbe toto  | Prodis, venis Minervæ    | Non Martis in palæstra, |
| Præstantius quid extat? | AMICE docte sævo         | Phœbi sed in palæstra.  |
| Honestius quid extat?   | Nō Marte: at arte docte: | Dignus videris ergo     |
| Hæc sola præstat auro,  | Tu perplaces Minervæ,    | Dignissimis brabeutis   |
| Hæc sola nomen ornat,   | Tu charus es Minervæ,    | Clarissimis brabeutis   |
| Hæc sola reddit illum   | Te diligit Minerva,      | Ut deferas triumphans   |
|                         |                          | Sophiæ                  |



|                         |                          |                                       |
|-------------------------|--------------------------|---------------------------------------|
| Sophiæ gradū secundū,   | Sic tu virere perge,     | Pro claritate digna,                  |
| Ut tu brabeia victor    | Tu perge sic virere:     | Honore pro decenti                    |
| Capias, amice, gratā    | Sic clarus es PARENTI.   | Honore pro recenti                    |
| Non Martis ex palæstra: | Tibi sic favent sodales; | Votiva vota solvo,                    |
| Sed artis ex palæstra.  | Te laude jam nitentem,   | Ut sis decus Parentis,                |
| Defers brabeia docta,   | Te laude jam virentem,   | Ut sis honor Parentis,                |
| Defers labore multo     | Te laude jam rigentem    | Honor, decus venustum,                |
| Non otio Magister       | Amore prosequentes       | <small>HOC IOVA SUIVIT ALIQUO</small> |
| Negotio Magister.       | Canunt, AVE MAGISTER.    | Deus ex Deo perennis,                 |
| Sic laus paratur alma   | Ego já tibi MAGISTER,    | Deus ex utroq; missus.                |
| Virtus, honor, decusq;  | Pro dignitate clara      |                                       |

M. JACOBUS SCHALLER,  
Argent.

*Anagramma.*

Lucas Bacmeisterus.  
Sic Musa celebratus!

**B**acmeistere, bonis dicite Musis,  
Magni gloria magna Patris: est, quem  
Titillat speciosa vox Magistri,  
Et sic mulcet in aure cantilena hæc:  
Salveto sapientia Magister:  
Hac ut voce minus minusq; dignus  
Ex faustu tamen ambiat Magistrum,  
Et ritu tamen occupet Magistrum.  
Et auro sibi vendicet Magistrum.  
Verum puniceâ caput tiarâ  
Vestire, in cathedra tenere librum,  
Anellos digitis habere, tædas  
Pompa versicoloris anteire,  
Et quæ præterea jubet Decanus  
Præconis graphico ore nunciari;  
Nequaquam celebrem creant Magistrum,  
Sed, Musæ celebrem creant Magistrum:

Musæ



Musæ perpetuo labore parta.  
Nam laus nulla venit, nisi Camænis,  
Nec Musæ, nisi sint labore parta.  
Necesse hæc tria convenire debent.

Te, Luca celebrate, laudo, quod non  
Ex faustu celebratus es Magister,  
Nec ritu celebratus es Magister,  
Sed Musâ celebratus es Magister;  
Musâ perpetuo labore partâ  
Solâ tu celebratus es Magister.

Musâ hac fretus ad altiora tendis,  
Et viam sequeris Patris celebrem,  
Immò. si genii sequere ductum  
Pronum, ut hæctenus es secutus illum,  
Hanc viam Patris anteibis olim,  
Nec his ausibus estimaris impar,  
Nec tantos Pater invidabit ausus,  
Sed Musâ celebratior præibis.  
Sic Musâ celebratus es Magister!

Anno χριστογονίας

sVVM CVIqVe IVs DatVL.

M. CHRISTOPHORUS COLERUS  
P. L. C.



**E**N sic, Bacmeister, caput splendente coronâ  
Exornet Pallas, cingens tua tempora Lauru  
Daphnide, pro meritis tibi præmia digna rependit.  
Sic Musæ gratæ: sic pro sudore, labore  
Sisyphæo, charites certant imponere crura.  
Accipe nunc primum hæc, ut sedulus impete vivo  
Cœptis Palladiis perge invigilare Camænis;

Coete-



Cætera sic facili superabis tædia curâ,  
Par & eris Patri, quod totâ mente precabor.

*Ita gratulabundus deproperabat*  
M. JOHAN-JUNGHANS.

---

LUCAS BACMEISTERUS,  
*per anagramma*  
SERTUM E BACCIS LAUS.

**M**ente manuz, olim pugnanti sarta dabantur,  
(E BACCIS SERTUM LAUS meruisse fuit)  
*Verùm quisquis erat distincta mysta vacana,  
Ex meritis illum nullo habuere loco.*  
Sarta Magisterii tibi confert Baccea JENA,  
Bacmeistere anima portio magna mea.  
*Inde sub Aoniis te non meruisse catervis  
Ac hostem strictâ ritè fugâsse manu,  
Quis crepet? Ex alto, sertis gratorq; novellis;  
Quæ tibi fausta sient, vox animoz, vovent.*

commensali suo gratulabundus f.

M. TOBIAS HUMMELIUS  
*Memmingâ Suevus SS. Th. St.*

---

**E**N quàm mirificè suis  
Rebus conveniunt nomina sæpius!  
Dant cunæ puero patris  
Vel profapia nomen velut auguris  
Nutu, sæpe quod optimum  
Omen non dubio præmonet exitu.  
Fermè justitiæ parens  
Dici Justinianus meruit pius,  
Quod quondam pueritiæ  
Prædictum auspicio nominis haut truci.

B

Prin-



Princeps is meritò sophum  
Cunctorum melior flosculus ingenii  
Summi fonsq; boni fuit,  
Quod præfagiit agnomen amabile.  
Polles à teneris quoq;  
BAC-MEISTERE, bono nomine & omine:  
Baccas carpere tu vales  
De Lauro Sophiae, quod facile & parum est;  
Nancisci potis es gradum  
Summum & jura Magistri meritò tuò.  
Sic, quod nomine erat ratum  
Olim, jam probat haut irritus exitus.  
Ausu maecte pio, DEUS  
Conatum facili promoveat manu,  
Ut scandas varios gradus  
Et tandem superos mortuus ad polos.

*Fausta grat. caus. fund. commensali*

M. CHRISTIANUS DREYER  
Sedino-Pomeranus.

---

**A**ccipit ergò meus dum Bacmeisterus honores,  
Quos etiam quondam tollere dignus erat,  
Quid superest nobis igitur, quàm vota Magistro,  
Quàm Bacmeistero solvere vota novo?  
Solve meum, sic solve meum: ceu solvere possunt  
Incomta Musa, sic ego solve meum.  
Premia qua meruit dudum, qua alma Sophia  
Promisit, tandem premia digna capis,  
Bacmeistero, meos inter quem censeo amicos.  
Hic Patria, Patri, hic & tibi profit honos!

Ita properanter applaudit

FEL. SCHALLER.

Dum



**D**um caput incedis Tyrio velatus amictu,  
Ecce Professorum plaudit ovatq; chorus.  
Applaudit studiosa cohors, gratantur Amici  
Quos virtutis amor tangit & artis honos.  
**B**ACMEISTERE, tuos unà gratatur honores  
Musa mea, Aoniis non madefacta vadis.  
Et vovet è cordis thalamo, ut tua capta secudent,  
ac variis cumulent teq; tuosq; bonis.  
**A**ddam, si lubeat metris ænigma duobus  
sermo quod noster continuatus erit.  
**D**ic magè quæ Sophiæ cultores littera vexet,  
Ante illam titulis quam meruere suis.  
**D**ic magè quæ Sophiæ cultores littera honoret,  
Atq; mihi multâ laude Magister eris.

*Populari & amico suavissimo amo-  
ris & benevolentia ergò scriptum*

à  
**DANIELE BOSSOVIO**  
Parchim Megap.

**D**um Bacmeistero tribuit Schola tota Sophorum,  
Dum tribuit digno digna Brabeia meo.  
*Quis negat applausum? Merces, sic digna labori  
Semper adest! Dignum premia digna manent!*

*Amico, commensali ac contabernali suo  
oculitus honorando ita gratulabatur*

**WOLFGANGUS FRIDERICUS**  
Held, Norimb.

**Q**uem meritâ doctrina beat, quem laude celebrant  
Dignâ Phœbicolæ, cui datur amplus honor.,  
Hunc mea quid laudet, celebret quid musa, inane  
Carmen? nil opto quam ut benè vota cadant,  
Quæ bona vota precor, tibi Bacmeistero, Sophorum  
Qui Eusebiæ jungis mystica scita sacra.

B 2

Fausta



Fausta tibi & meritò cedunt hinc vòta, dabuntur  
Majora hinc olim præmia major honos.

*ita gratulabundus acclamabat ami-  
co & commensali suo suavissimo*

VALENTINUS BULLENIUS Westph.

---

LUCAS BACMEISTERUS.

*ἀναγρ. B. in G. mut.*

CLUES MAGISTER: CASU?

**U**T multo virtus veneranda labore paratur  
Sic est virtutis gloria lata comes:  
Perfertur facile hinc quævis tortura laboris  
cum suâ demeritos præmia grata manent,  
fortior insurgit generosi pectoris ardor  
debita dum cernit parta labore dari,  
Sed quid verba juvant? rerum documenta quot adsunt!  
BACMEISTERE vales hocce probare satis,  
Cum te jam viridi gaudet decorare corollâ  
consecratorem Doctor Apollo suum:  
Jure CLUES, Sophia conscendens templa, MAGISTER  
an CASU tali nomine dignus eris?  
absit id omninò tua nam solertia solers  
tanta tibi Phæbi pulchra brabeia tulit;  
Hinc tibi, quod postcis, quod debeo, grator honores,  
quos animi dotes promeruerè tui;  
TER MAGIS extimulent, MAGIS ut te TERq, quaterq,  
per decus hi faciant tendere ad astra, precor.  
gratulab.

ALBERTUS WILLEBRANDUS Rost.

---

PARODIA HORATIANA

*ex lib. 2. Od. 9.*

Non



**N**on semper urit fidereus calor  
Titanis ora & frontis amabile  
decus; sed albos post sub undas  
mittit equos renovatq; ademtam  
umbram: Cruentum sollicitat fretum  
remis, nec omni tempore navita:

Et fortiter qui currit ille  
magnifico cotino beatur.

Sic semper undas intra Aganippidos  
sudare, aquis & Gorgoneis labra  
lavare, nec tandem quietem,  
præmia cernere Musa nostra  
negat: Nec est, ut prisca modò feram  
exempla vobis; quippe domestica

adsunt: Ades ergò propago  
digna Parente tuo celebri

Amice *Bacmeister*? Studere cla-  
rias ad undas, cura tibi fuit

hucusq; solers; hinc brabea  
digna Magisterii reportas:

Hinc illa grator, plura præopto; sic  
pergas, brevi tunc plura dabit DEUS,

intraq; Doctorum videbo  
fatidicos te equitare campos.

*Fausta adclamationis E. com-  
mensali ac amico suo f.*

ENOCHUS HIMMELIUS.

---

LUCAS BACMEISTER.  
ME BIS, AC TER SULCA.

**D**ixerat EUSEBIE: Me bis sulca, ac ter, *amate*.  
*Oceanum VERBI trajiciens animo.*

B 3

*Dixe-*



Dixerat & SOPHIÆ: Me bis sulca, ac ter, amate,  
Æquor NATURÆ mente sagace legens.  
Dixerat hæc; & dixerat illa. Bis, ac ter, & ultrâ  
Sulcâsti assiduâ Tu vada lata manu.  
Venisti ad portum tandem. Nunc latus Honore  
Maestris digno, digna brabea ferens.  
Quid grater? precor: Omnium origo, fonsq; bonorum  
JOVA, addat vita commoda mille TIBI.

gratulabundus ita deproperabat commensali suo  
Johannes Ernestus Rentzschius,  
Rinckleb. Thur.

---

LUCAS BACCMEISTERUS.

ἀναγρ.

BACCARUM SERTIS CLUES.

Musarum quicunq; vigat sitientia prata,  
Arvaq; gemmanti picta virore colit:  
Scilicet hic felix Sorte aspirante triumphat,  
Sudorisq; refert digna brabea sui.  
BACCMEISTERE CLUES Musarum cultus amator,  
Rorâsti summâ torrida prata fide.  
Inde Magisterii cingit te laurea, & inde  
BACCARUM SERTIS tempora vinctus ovas.  
Gratulor his lætus gratanti voce coronis,  
Et viridi, voveo, flore perennet honos.

Ita gratulabundus alludebat suo commensali

MARTINUS SCHELE.

---

Εὐχομαι ὦ Λυκά τιμὴν τεῖν, ἢ δίδοταί τοι,  
Ἐν κλειτῇ σοφίᾳ, κῦδος ἐῆσιν αἰεὶ.  
ἔνομα, οἶδα, καδὼς θροεῖ, φωτεινὸς, ἔση τε  
τίν, πατρη γ' οἴκῳ δόξα, κλέοσε μέγα.

Latinè sic:

Qui tibi jam, Luca, confertur, grator honori  
In celebri Sophia, sitq; perennis honor.

Sis,



*Sis, sonat ut nomen, Φωρενός, sic tibi quondam  
Et patria, & genti laus eris, atq; decor.*

ELIAS G. F. SCHEDIUS,  
Bohemus fecit.

LUCAS BACMEISTERUS.

*ἀναγραμματῖς.*

*Accit meus salubres  
Baccas meis Lutherus  
Labris. & esa succum  
Crebrum salutis esca  
Creat. Cluebis. Assum.*

HOC; Chare Frater, unū Et ponderosa Zythi  
Domūs dec<sup>o</sup> paternæ, Qui vasa ructuoso  
Sophæ medulla Svadæ, Haurire ventre, tantum  
Spes patriæ, gravisq; Frugesq; devorare  
Honos future Christi; Noctu diuq; nati:  
Hoc ominale dictum, Sed heluo librorum,  
Hoc singulare factum Sed heluo ciborum  
Verè tuapte voce Cœlestium fuisti,  
Te posse publicare, Illisq; cor cibasti,  
Te posse prædicare, Et Pegasi Magistras  
Te posse judicare Aquas ad Hippocrenen  
Fides fatetur ipsa. Avarus ebibisti.  
Nec falleris, nec erras, Primò tibi sacratum  
Sed veriora vero, In ædibus paternis  
Fide fatente, narras. Sic largiter tenello  
Namq; heluo fuisti, Lac præbuere Musæ,  
Ac *esca* delicatâ Ut Pallas alma mentē,  
A parvulo huc adusq; Venus venusta corpus  
Te lautius cibasti, Peitho diserta linguam  
Non sicuti nepotes, Formaret & crearet.  
Nec sicuti voraces, Ducūt dein Camœnæ  
Qui se usq; ventrioso In Balticum Rosetum  
Dant otio gulonum, Te, flosculisq; pascunt,  
Et hinc tuus Lutherus,

Quid?



|                                 |                        |                          |
|---------------------------------|------------------------|--------------------------|
| Quid ? immò Christo ipse        | Ut comptior tribuli    | Ut porrò, sicut antè,    |
| Per te <i>Cluebit</i> olim,     | Existimeris, immò      | Corpus tuum expeditù,    |
| Si sicut inchoasti,             | Verè, nec ex amore     | Corpus tuum expolitù,    |
| Tibi pòst <i>adesse</i> perges. | Cæco, levivè more      | Et mens tua expedita,    |
| Namq; ipse reddidisti           | Sic æstimeris & sis,   | Et mens tua expolita     |
| Sic corpus expolitum,           | Et sis & æstimeris.    | Escis sacris vigescat,   |
| Sic corpus expeditum,           | Nunc promptior sodali, | Escis sacris vegescat,   |
| Mentem tuam expolitã,           | Nunc comptior sodali   | Pingvescat atq; crescat, |
| Mentem tuam expeditã            | Cibis sacris dicato.   | Florescat ac virescat    |
| Ut promptior tribuli,           | Faxit, JEHOVA, faxit   | In seculum perenne.      |

*fratri suo l. mg. f.*

NICOLAUS BACMEISTERUS  
Rostoch. Megapol.

**C**orpore, mi LUCA, unius connate parentis,  
 O & pars animi dimidiata mei:  
 Quis quondam edisset, cum nos schola priva doceret,  
 Te fore, quod nunc es, pòst quod & esse potes?  
 Sed DEUS hic, parvos qui mente & corpore mactat,  
 Te quoq; mactavit laude Magisterii.  
 Gratia prima DEO, doctoribus altera, patri  
 Tertia debetur: sic sua quisq; refert;  
 Nimirum grates: namq; his, testante Sophorum  
 Principe: par pretium reddere nemo potest.

*fraterni affectus ergò f.*

JACOBUS L. F. BACMEISTERUS,  
G. M.

F I N I S.







10

Præ  
LUCAM

Viro  
DN. J  
SS. The

DN. M  
Poët.

Summum in  
gia unâ

Præceptoribu  
GUSTROVI

10.

num  
TERUM

imo &  
MELIO,  
n Acade-

ORSTIO,  
Prof. P.

agisterii Privile-  
Anno 1632.

icis & Fratribus.  
ORE. A°. 1632.

